

## No. 172. 1392. 11. März.

*Das Kloster bestimmt mit Genehmigung des Bischofs Heinrich von Merseburg von den Gefällen des Dorfes Holzhausen (vgl. No. 155) 2 Schock Gr. zu einer Fronleichnamsmesse und 2 Schock zur Bekleidung der Chorherren und zur Begehung eines Jahrgedächtnisses, sowie 1 Schock im Dorfe Birchbruch (No. 163) gleichfalls zu Jahrgedächtnissen.*

Nos Nicolaus dei gratia praepositus, Caspar prior totumque capitulum monasterii sancti Thomae apostoli in Lipezk ordinis sancti Augustini canonicorum regularium recognoscimus et ad universorum praesentium et futurorum notitiam deducimus per praesentes, matura et sufficienti deliberatione praehabita accedente ad hoc consensu et voluntate omnium quorum consensus fuerat requirendus de donatione dotatione seu appropriatione illustris principis domini Wilhelmi marchionis Misnensis, quam fecit cum villa Holzhusen, esse taliter ordinandum, ita quod prior et conventus qui pro tempore fuerint habent et habebunt singulis annis quatuor sexagenas latorum grossorum Fribergensis monetae super festum Walpurgis recipere et tollere plenarie et ex toto, quarum sexagenarum duae de missa corporis Christi debent ad communitatem cedere dominorum, alias vero duas sexagenas de Christi fidelium elemosinis emptas et comparatas vestiarius dominorum recipiet ad vestitum. Prior etiam cum dominis de conventu singulis diebus unam missam in altari corporis Christi legendo celebrent summo mane, ita quod in omnibus quintis feriis summo mane missa de corpore Christi cum octo scolaribus cum cantu in organis et pulsu campanarum solempniter decantetur. Si quis in tali ordinatione missam non celebrando negligens fuerit vel alium pro se non ordinauerit contumaciter dimittendo, gravioris culpa poenam ordinis sustinebit. Prior scolaribus salariū ministrabit, praepositus vero qui pro tempore fuerit campanas pulsantibus ac in organis calcantibus pretium de oblationibus ministrabit. Etiam debet memoria et anniversarius Johannis dicti Czuppolds confratris nostri suorumque progenitorum peragi vigiliis, missis, sicut aliorum confratrum nostrorum, qui hanc missam suis pie elemosinis ordinavit. Insuper prior et conventus habent et habebunt unam sexagenam latorum grossorum in villa Birchbruch, sic quod de illa sexagena tres fertones pro memoria Laurentii Papae scolaris quondam nostri suorumque progenitorum et unus fertio pro memoria Katherine molendinatrice de Golus<sup>a)</sup> ad communitatem debent cedere dominorum. Et ut haec praesens nostra ordinatio a nobis nostrisque successoribus perpetuis temporibus inviolabiliter observetur, reverendo in Christo patri ac domino domino Heinrico de Stalberg episcopo ecclesiae Mersburgensis supplicavimus, ut eandem auctoritate sua dignaretur confirmare et banni sui sententia roborare harum quibus nostrae praepositurae et conventus sigilla sunt appensa testimonio litterarum.

Et nos Henricus dei gratia episcopus ecclesiae Mersburgensis praefatam ordinationem ratificamus approbamus et districte praecipiendo mandamus, ne quis dictam ordinationem violare aut infringere eandem quovismodo praesumat aut contra eam

a) Gohlis, Par. Eutritzsch.